

2

ITINERARIUM ORIENTALE

R. P. F. PHILIPPI

A SS^{ma} TRINITATE

Carmelitæ Discalceati ab
ipso conscriptum.

IN 2^{VO}

Varij successus Itineris, plures Orientis Regio-
nes, earum Montes, Maria & Flumina,
Series Principum, qui in eis domi-
nati sunt, Incolæ tam Christiani,
quàm Infideles Populi.

*Animalia, Arbores, Planta & Fructus; Religio-
forum in Oriente Missiones, ac varij celebres
eventus describuntur.*



L V G D V N I,

Sumptibus ANTONII IVLLIERON
in vico Racemi, sub signo duarum Viperarum.

M. D C. X L I X.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.



LIBER SEPTIMVS
ITINERARII

In quo

Peculiares species animalium arborum, & fructuum Orientalium declarantur.

CAPVT PRIMVM.

De Elephantibus.

MERITÒ sanctus Areopagita Dionysius inter aurea ac mystica sua protulit effata, quòd supremum infimi attingat infimum supremi: hoc maximè in Elephantibus apparet, qui ad discursum ac iudicium humanum plurimùm accedunt. Licèt enim simiæ in multis homines imitentur. propter quod Cafres solent dicere, quòd simiæ non loquuntur, ne laborare cogantur: attamen si Elephantibus comparentur, brutissima videbuntur animalia; honestissimi enim sunt; se vt dicitur, videri non patiuntur, dum ad foeminam accedunt; quòd si quis in casu viderit, nisi aufugiat, ab illo occidetur, sunt animalia altissima, factis grauija, ac difficillimè in gyrum mobilia: velociter ammen currunt, nec in suo cursu percipiuntur; non enim

S 3 vngu

ungulam, sed callum sub pedibus habent; oculos adinstar bouis magnos apparentes habent, sed tantæ molis corporis improporionati ac parui sunt; aures habent valde latas; ita vt; qui eorum curam gerit, supra illas sedere possit; proboscim extensam ac solum pertingentem habent, infernè strictiorem, supernè latiore, vacuam per totum: in vltima eius parte est carnis particula, quæ constringit; quæ apprehendit: fortitudo Elephantis consistit in Probosce, hac trahit ingentia, vel impellit onera, ac vtitur quasi manu ad cibum capiendum, vel aquam hauriendam, quæ omnia, reflectendo ipsam, supposito ori deponit; hæc est cibus ad comedendum delicatissimus; ex vtraque oris parte præter interiores dentes, sunt illi duo eburnei, maximæ longitudinis, exterius prominentes, in summitate concaui, in extremitate solidi & acuti; vidi aliquos octo circiter palmorum longitudinis; Elephas genua inflectit, cuius contrarium aliqui scripserunt; imò illis flexis, sicut & dimisso capite salutat, & pedem suo gubernatori ascendere volenti, quasi gradum, præbet: multa, quæ subiungam, fabulosa forte ab aliquibus iudicabuntur; sed ex his quæ vidi, certissima esse iudico; præsertim cum publica illorum relatione perceperim, qui quotidie similia vident.

Capiuntur Elephantes duplici viâ; vel foueas eis parando, in quas ramis arborum rectas incauti incidunt; vel venatione, quæ hoc modo succedit: dicunt, quòd in insula Ceilam, vbi est maxima Elephantum multitudo, qui venationi & eorum capturæ insistent, habent Elephantes fœminas, quas vocant *Alias*; hi quando sciunt in aliquo loco Elephantes agrestes discurrere, eò tendunt, duas secum ducendo Alias, quas viso Elephante dimittunt; illæ hinc inde accedentes medium illum tenent, ac ita constringunt, vt effugere nequeat: tunc accedit venator, Elephantem captum ligat pedibus, de
inde

inde coram facie apparens salutat , se excusat quòd eum ligauerit , asserens se hoc non in damnum , aut contumeliam eius fecisse ; sed potiùs in bonum ac utilitatem ; subiungens ac obiiciens ei , quòd ante in mediis campis inter Solis ardores , ventos & deficientibus sæpè necessariis ad victum vagabatur ; imposterum verò se curam eius domi habiturum promittens : his ita gestis tanquam mansuetissimus agnus sequitur : non inde inferendum est , quòd linguas intelligat ; sed tantùm quòd ob perfectissimam æstimationem , affectus hominum erga se , honoris vel vituperij , amicitiz vel inimicitiz , aliòsque percipiat ; & propter hoc non tam verberibus ; quàm rationibus domatur. Omnes alij Elephantès , illos qui in insula Ceilam nascuntur , tanquam inter ipsos nobiles , ac principes reuerentur ; & propterea hi plusquam alij ab Indiarum Regibus æstimantur.

Quando Elephantès ad bella ducuntur , duplici ministerio deseruiunt ; vel enim parua eis imponitur lignea Turris , ex qua aliqui milites desursùm præliantur : vel eorum probosci gladius catenis ferreis alligatur , ac ita in exercitum contrarium dimittuntur , quem generosè aggrediuntur , ac sine dubio dissiparent , nisi lanceis igniuomis repellerentur ; cum enim Elephantès ignem metuant , in summitate lancearum ignem artificialem præparant , quo fugantur Elephantès.

Priusquam aliquas de Elephantibus historias enarrem , quæ in Indiis nostro sæculo contigerunt , quas à testibus oculatis & fide dignis accepi ; quæ ipse meis vidi oculis , præmittam : semper sunt Goæ aliqui Elephantès , constructioni nauium deseruientes : Veni quodam die ad littus fluuij , prope quem nauis ingens construebatur , in ipsa Ciuitate Goa ; ibi est platea maxima , trabibus ipsi nauium constructioni deseruientibus plena ; homines ligabant fune aliquam trabem in

summitate, deinde funem Elephanti proiiciebant, qui eum ori imponens, ac duplici ductu probosci circumuoluens, solus ipse sine ductore, ad locum ubi nauis construebatur semel sibi monstratum, trahebat maximam trabem, quam viginti & forte plures homines non possent trahere; sed quod maiori dignum admiratione vidi, fuit; quod dum in itinere trabes aliae occurrebant, quae impedirent, ne suam traheret, suo pede submisso extremitatem trabis eleuabat, ut ita supra alias curreret: quid amplius faceret homo iudicij compos?

Contigit, ut cuiusdam Elephantis Dominus ostenderit Elephanti cacabum fractum, hoc signo causam afferens, cur ei orizam non coqueret, arripit cacabum Elephas, defert ad fabrum ferrarium; solidatum sed male, refert (effluebat enim aqua) quod aduertens Elephas, iterum ad fabrum defert, refectum accipit, ad aquam pergit, cacabum replet aqua, quam videns non effluere, domum retulit.

De alio refertur, quod dum Goæ ad potandum iret; visus à quadam muliere in fenestra consistente derisus est, quod aduertens Elephas, ac memoria retinens; ubi aquam sibi necessariam potauit, proboscim suam aqua replet; deinde rediens, illamque mulierem adhuc in fenestra perseverantem aspiciens, effusa illam perfudit aqua: vidi & fontem, & fenestram ubi hoc accidit.

Erat quidam Elephas Goæ nomine Pericco, qui solebat in quadam domo, quam sæpè vidi, aliquam vini portionem accipere, cum illuc transibat: contigit, ut quadam die fureret, & elapsus multi insequerentur; ubi peruenit ad illam domum, omnibus præ timore eius aufugientibus, relictum à matre paruulum ciulantem inuenit; illum ab Elephante discerpentem mater formidabat; sed Elephas beneficij memor paruulum accipiens, ac supra tectum domus eleuans (sunt quippe
in

in India plures domus superiora non habentes habitacula) positis circum regulis, ne caderet, conlilituit; ne insequentium pedibus conculcicaretur:

Illatas sibi Elephantes vlciscuntur iniurias: contigit in ciuitate Tatta, vt audiui à quodam nostro Religioso, qui tunc in illa ciuitate erat, quòd quodam die Gubernator ciuitatis iusserit adduci coram se omnes, quos alebat, Elephantes: erat ipse cum aliis nobilibus in quadam porticu superiori; Elephantes verò in area palatij: de singulis decreuit, quid faciendum erat, vbi peruenit ad vnum iam senem & malè habentem, iussit vt tanquam inutilis dimitteretur; quod aduertens Elephas furore percitus, ascendit supra locum paulò eminentem, ac extensa probosce Gubernatorem arripere tentauit; sed eius fuga delusus furibundus exiuit, multa causans hinc inde nocumenta; nisi vestis Gubernatoris fuisset tenuissima, de eius vita actum erat; nam Elephas vestis ipsius fugientis extremitatem arripuit ac trahens lacerauit. De alio dicitur quòd à suo domino percussus illum occiderit; supra eius pectus ponens instrumentum; quo ab eo fuerat percussus.

Voluit quidam Prorex Lusitanorum mittere vnum Elephantem in munus cuidam Regi; ille qui Elephantis curam habebat, nolens priuari hac vtilitate, suavit Elephanti ne iret, asserens hoc in maximum fore ei dedecus; si à ministerio maximi Monarchæ Hispaniarum Regis ad alium Regulum mitteretur: vim rationis percipit Elephas, dum naus imponendus est, ire renuit; mirabantur omnes, quid causæ esset ignorabant: donec recognita Prorex euocat Gubernatorem Elephantis; suspendium minatur, nisi Elephanti eundem persuaserit: tunc ille mortis metu contraria via aggreditur Elephantem, asserens illum Regem, ad quem mittendus erat, esse maximum; & quòd honori Hispaniarum Regis intererat, vt ipse iret, quò mittebatur.

&

& quodd melius ibi excipiendus esset ; his dictis statim nauim ingreditur.

Contigit pariter dum essem Goæ , vt vnus simili modo missus , vt Regi Dia'kan offerretur, ire noluerit, donec socium simul ire concesserint : Alius autem cum inuitus naui fuisset impositus, se præ rabie in mare proiecit , vbi suffocatus est.

In ciuitate Cochín erat tormentum bellicum ingens, quod alio Lusitani transferre volebant ; adhibentur multi homines ; sed illud mouere non possunt ; adducitur Elephas , ei intimatur quid sit agendum , probosce tormentum conatur impellere , sed immobile persistit : tunc Gubernator Elephantis iratum se simulans, exprobrat ei eius ignauiam, asseuerans ex hoc maximo afficiendum esse dedecore : Tunc Elephas proprii zelo honoris omnes vires , neruósque contendit, proboscin tormento submittentanto impellit impetu , vt statim crepuerit.

Quis hæc certissima audiens , dubitet de aliis similibus , quæ de Elephantibus referuntur ; De vno enim dicitur , quodd à suo domino, quandam ad victum mensuram orizæ taxatam haberet ; sed diuidia pars à seruo, cui eius cura fuerat demandata , retinebatur : contigit quadam die ; vt Dominus illi comedenti voluerit assistere , offert seruus mensuram integram ; sed Elephas illam diuidens in duas partes , partem tantum sibi dare solitam comedit, aliam relinquens intactam ; quod Domino magnum causauit stuporem , ac mysterium sciscitatus seruum ad rei veritatem detegendam coëgit.

Elephas sua probosce lapides recta ac procul dirigit, ipsa aquam effundente corpus suum lauat : pili eius, maximè postquam senuerit , ab aëre corrupto gestantes liberant, illum ad se trahentes. Fuit in Indiis vnus Elephas albus , qui tanquam Deus à Gentilibus adorabatur. Nullibi tot reperiuntur , quot in interiori Africæ parte,

parte, vt apparet ex infinitis eorum dentibus, qui inde asportantur: Occiduntur autem sic, illi Barbari, arbores ascendunt, iuxta quas transituros credunt Elephantes, inde transeuntes lancea perfodiunt, deinde elapso aliquo tempore vestigia sanguinis effusi sequentes, ad Elephantem sanguine exhaustum, ac mortuum perueniunt, illius carnem ibi comedunt, eiusque dentes Lusitanis vendendos deferunt.

C A P V T II.

De Camelis.

Camelorum naturam, & proprietates per duos menses, quos in traiectu ab Aleppo vsque Babylonem consumpsi, mihi contemplari licuit: vnde in eius descriptione aliquantulum immorabor.

Nullus est, qui vel ipsos, vel eorum figuram videns altitudinem, collum valde extensum, & dorsi gibbum non aduerterit; eorum natale solum est Arabia; quamvis enim alibi, non solum aduentitij, sed etiam natiui reperiantur; nullibi tamen tanta eorum multitudo, ac in Arabia conspicitur.

Hoc animal peculiari prouidentia Dei mercatoribus est prouisum, ad superandum Arabiæ desertum: cum enim ibi fontes & putei sint rari, & aliquando deficiat aqua: & similiter aridum hoc desertum sæpe pascuis deficiat; sola Camelorum tolerantia has omnes molestias, & defectus superare valent: nam ipsi per plures dies à potu abstinentes, & carduos aliâque viliora, quæ nullibi desunt, comedentes; vtres aqua plenos & cibos pro hominibus, aliisque animalibus, dum necessitas vrget, tanquam supererogatorium onus deferunt.

Dum ipsis imponenda sunt onera, graui ductorum sonitu ad genuflectendum alliciuntur: quod si genuflectere tardeat, vel genu eorum baculo percutitur, vel collum

collum deprimitur ; tunc quasi coacti & suo modo gemitus edentes , & genua & crura flectendo ventrem humi deponunt , & sicut donec onusti surgere iubeantur : ventri autem , cruribus , & genibus , qua parte terram attingunt , durissimi adhærent calli : si nimium oneris sibi sentiant imponi , & onerantes crebris ictibus capitis percutiunt , & lamentabiles edunt sonos : onus eorum ordinarium , est duplum oneris validissimi muli.

Noctu etiam sic genuflexi dormiunt , ruminando quod interdium comederunt : sunt admodum stupidi ; unde , cum respiciunt , quasi attoniti apparent ; onusti non multum itineris , exonerati verò plurimum conficiunt ; maximè illi qui agiliores & subtiliores Dromedarij vocantur.

Vt oneri portando præparentur , clitellæ eorum gibbo proportionatæ desuper imponuntur ; & sic onera ex utraque parte pendula , vel etiam cunas hominibus , vel mulieribus deferendis idoneas gestant.

Carnes eorum ab Arabibus facillè comeduntur , sed non multum gustui suaves esse peribentur ; ex lacte à feminis elicitò casei , sed admodum parvi conficiuntur , qui iisdem Arabibus in deliciis sunt.

Ductores Camelorum apud Turcas plurimum æstimantur , ob venerationem sui Pseudoprophetæ Mahometh , qui vili hoc officio maiori parte suæ vitæ in Arabia functus esse dicitur : postea tamen ficta prophetia ad honores peruenit.

C A P V T III.

De alijs Animalibus progressivis.

Sicut India orientalis aliquibus caret ex nostris animalibus (ibi enim non reperiuntur equi , muli , asini , & plura alia animalia ; nisi vel ex Perside , vel ex Arabia ,

Arabia, vel aliunde adducantur) sic plura habet propria hîc figillarim describenda.

In partibus Bengalæ prope Gangem frequentes sunt Rhinocerotes, vulgò *Abades*, quorum plurima cornua Goam deferuntur: in inferiori parte, qua fronti inhærent, ad duos circiter palmos circumferentiæ, quæ paulatim in acumen desinentia pro armis defensionis huic animali deseruiunt, sunt coloris fusci: ex ipsis elaborata ad bibendum pocula plurimum æstimantur, cum innatâ proprietate liquoris venenati, si infundatur malignitatem euacuent.

Tygrides plurimæ in Indiis reperiuntur, maximè prope Gangem, duæ sunt earum species: aliæ vocantur Regiæ, quia licet aliis minores; tamen generosiores, ac robustiores sunt; vnde cum audacia & furore præfunt, periculosus est eorum occurfus: aliæ vocantur Tygrides bibò, quæ licet maiores; sunt tamen timidæ, ac facîle fugiunt si insequentem aliquem videant, vnde non multum timentur.

Est in Indiis infinita propemodum Simiarum multitudo præsertim in ora maritima; qui illuc præterit, hinc inde saltantes, ac per arbores videt discurrentes, suos præ manibus ferentes catulos, & aliquando plures in vnum conueniunt, ac prætereuntes viatores insequuntur, ac forte aggredierentur, nisi armatos inuenirent: quando autem quis catapultam gestat, ac in simias tentat explodere, statim aufugiunt, arbores ascendunt, seque in tuto consistere loco credunt, si folia arborum ob oculos ponant; & ita facile occiduntur. Si quis autem vivos capere velit, assumit fructum palmæ Indicæ dictum cocco, in cuius durissima cortice paruum facit foramen, ac prope locum vbi sunt simiæ, proicit, statim adest aliqua, quæ foramini manum immitrens, facile capitur, nam manum replet illa materia, quæ irritus est, nec extrahere potest: & tunc venator insequitur;

quitur; cum enim, quod semel apprehenderit manu, nunquam dimittat; non potest hoc obice præpedita celeriter fugere, nec arbores ascendere; ac ita incidit in manus venatoris.

Fertur, quod in promontorio dicto *Rama* aliquot ultra Goam miliaribus sit magna simiarum copia, & quod ibi simiæ aliquando videntes ducem Lusitanum in Indiis natum è suo exeuntem nauigio, vexillum cohortis suæ in terra defigere, statim accurrentes illud rapuerunt, & ad summitates arborum deferentes, illum coram aliis stupētibus & ridentibus stridore affecerunt, cuius euentus historia, quoties illuc Lusitanorum nauigia appellunt, cum risu & dictariis recolitur hoc enim factum veri Lusitani milites misticiis siue Indis, si qui sint, in derisum obiiciunt. Contigit etiam ibi, vt quidam mercator biretta deferens, illa soli propter humiditatem exposuerit, statim adsunt simiæ quælibet suum capit birettum, & super arbores aufugiunt; anxius diu mansit bonus ille mercator; sed alio suadente naturali simiæ vtitur inclinatione: imponit sibi vnum in capite birettum, quod imitantur simiæ; deinde diuersimodè illud mouet, quod etiam faciunt simiæ; denique in terram illud proiicit, proiiciunt & simiæ: & sic omnia recuperavit.

Prope Malaccam inueniuntur Onçæ, quæ sunt animalia simiis admodum similia, supra frontem habent cingulum crinium, vnde quasi anus apparent suis amictæ ornamentis; vnum verbum Gallicum, scilicet *Ory* continuè proferunt: in locis calidissimis nascuntur, & frigus etiam leuissimum timent: vnde Goæ, quando minimum frigus vrget, mensibus videlicet Nouembris & Decembris, etiam vestibus amictæ facillè moriuntur; supra suos pedes erectæ sæpè incedunt; sunt valde domesticæ; si lugentes vident, lugere se fingunt; si pugnantes aduertant, in medium accedentes separare conantur,

nantur, & plura alia perfectæ æstimatiuz opera exercēt.

Aliqua sunt animalia parvis canibus, siue Vulpibus similia, ex quibus conficitur muscus: repetitos enim actibus occiduntur; tunc carnes conscissæ & sanguis in bursis villosis ex eius pelle confectis, quas Lusitani *papos* vocant reclusi & putrefacti odoriferam musci materiam præbent.

Præter feles ordinarios alij sunt omninò similes, vulgò dicti *Algalia*, qui illam materiam odoriferam producant, quam hic in Gallia vulgò *Ciuette* vocamus, Lusitani autem *Algaliã* nominant: quando illam materiam colligere volunt, illos irritant: ac in furorem vertunt; & tandem, ne dentibus, aut unguibus noceant, intra portam, vel alibi medio intercipiunt corpore, & assumentes coclear argenteum, materiam illam in pellicula subtus ventriculum collectam eliciunt: dicitur quòd hoc æst u furoris materia ista perfectè decoquitur: ac omnino perficitur.

Sunt canes in India, qui murium venationi, non secus ac feles vacant; sunt mures maximi, qui potius terrent feles quàm his terreantur: hos prædicti canes insequuntur, captos occidunt; & moribus omnia eorum ossa comminuunt: sunt & alij mures minores admodum odoriferi, muscum redolentes, os habent acutum, & si quem momorderint, veneno suo necare dicuntur.

Est aliud animal, quòd quia continuò palmas ascensendo percurrit, animal palmarum vocatur; est in magnitudine, figura & aliis sciuro plurimùm simile.

Est & cameleon paruo non maior lacerto; sed grisei coloris, illi similis, qui continuò ore aperto hians, aëre icitur victitare: ad instar colli columbæ iuxta si appo- ra colorem variat, breues habet in collo spinulas: vnde non correspondet nomini, quod camelum, & leonem sonat.